

num orationis construeret et non modo congregationem monachorum, verum etiam tanquam asilum pietatis refugium ibi pauperum peregrinorum, captivorum et omnium misericordia indigentium undecumque advenientium sub sanctę Romanę ecclesię titulo et viri apostolici patrocinio in perpetuum consignaret et ordinaret. Cuius desiderio satisfatiens vir sanctę religionis exsecutor opus illud tanto studiosius quanto et libentius aggreditur. Parietes enim ecclesię extimplo eriguntur, regularis habitatio disponitur et totius operis non parva sollicitudo adhibetur. Sed heu, pro dolor! necdum eius superficies, ut ita loquamur, cernitur, et iam sui auctoris, immo potius parentis gloriosissimi videlicet ducis morte viduatur et, quod non sine dolore dicimus, tanquam posthumus relinquitur. His interim omissis ad nostrę narrationis ordinem redeamus. —

Fol. 37'. Deinde divina, ut credimus, dispositione fratrumque sententia concordante loca sibi subiecta bifariam dividit tali ratione. Decernit namque sibi succedere quendam probabilis vitę monachum, Widonem scilicet et sibi carne propinquum, et patrem Odonem equae dilectum, ita ut alter Wido scilicet caenobio Gigniensi et Aethicensi cum cella, que dicitur sancti Lauteni, et cum omnibus rebus ad praedicta monasteria pertinentibus praeter villam quandam, que vulgo dicitur Alafracta, et quibusdam aliis rebus sibi reservatis regulariter praeesset, alter vero, domnus scilicet Oddo, Cluniacum superius nominatum, Masciacum atque Dolense monasterium cum omnibus ad se pertinentibus diserneret. Ea etiam, quae supradiximus, sibi reservata, villam videlicet iam dictam et alias res, quas commemorare non est necesse, praedicto patri nostro sub testamento delegavit et ad Cluniacum monasterium, utpote adhuc spatio temporis tenerrimum et possessione pauperrimum, sub redditione census XII denariorum Gigniensi caenobio investitura quotannis tradidit, proferens sententiam, ut in illo testamento invenitur, paterno affectu plenam et memoria dignam: 'Non, inquit, iniustum videatur — — servituri sunt'¹. Haec ideo retulimus, ut huius viri paternum affectum et pium animi votum erga locum sepius dictum demonstraremus. Igitur his ita ordinatis domnus Beruo ultimum vitę diem clausit et, ut pie credimus, beatę immortalitatis gloriam a Domino percepit. Iam dictus pater Oddo in offitio sibi commissio prudenter invigilans opus iam coeptum Cluniensis cęnobii aggreditur. In construenda regulari habitatione non parva sollicitudo exhibetur et in dilatandis rebus monasterii non mediocris labor impenditur. Sed quia, ut diximus, adhuc locus erat pauperrimus in proximo, dum deficit census, intermittitur opus. Instabat vero tunc annua beati Martini celebritas; et ut est nostrę consuetudinis, per octo dierum circulum sollempniter a fratribus agitur.

1) Wörtlich aus der Urk. Bernos a. o. a. O.